Pagnin. Græcus. Lyran. Hugo. Carthuſ. verſu dixi, *quaſi noſtra virtute, aut poteſtate*. Pagninus. *Religione*, Gæcus *imperio noſtro*, Lyra. Hugo, Carthuſian. *Pietate*; quia pietas, & ſanctitas cauſa eſt, ut operentur miracula. De errore Calvini dicam quæſt.16.

84. Exod. 3. D.Bern. Verſ.13. *Deus Abraham*. Sic ſe Deus frequenter appellat in veteri teſtamento, Exod.3.n.6.& 15.& ſæpe aliis in locis. Unde ait D.Bernard. ſerm.15.in Cantic. *Currite gentes, ad manum eſt ſalus, effuſum eſt nomen, quod quicumque invocaverit, ſalvus erit, Angelorum Deus etiam ſe hominum nominat*. Et ſubdit Textus: *Glorificavit Filium ſuum Ieſum*. glorificare intelligit Lyranus de Reſurrectione,& ſeſſione ad dexteram Patris; Chryſoſt. Interlinealis de ſanitate Claudi nomine ipſius; uterque ſenſus bonus: *Iudicante illo dimitti*. Innocentem judicante, & dimittere conante.
Lyran. D.Chryſoſt.

85. Verſ.14. *Vos ſanctum, & juſtum*. In his duobus conſiſtit tota ſumma perfectio, ut dicam quæſtione ſequenti, & maximè hæc duo nomina conveniunt Chriſto? nam ipſe formaliſſimè eſt ſanctus,& juſtus, ſubſtantialiter per unionem hypoſtaticam, & accidentaliter per gratiam habitualiter, & etiam effectivè; quia ipſe eſt cauſa totius ſanctitatis, ac juſtitiæ in nobis. *Negaſtis* eum eſſe juſtum,& ſanctum,quando vocaſtis ſeductorem, Matth.27.n.63.& malefactorem,Ioan.18.n.30.& tanquam criminoſum poſtulaſtis ad mortem, *& petiſtis virum homicidam vobis donari*, ſcilicet Barrabam. Matth.27.
Matth. 27. Joan. 18.

86. Verſ. 15. *Auctorem vitæ interfeciſtis*. Præclara exaggeratio, ac antitheſis. Virum homicidam, ac mortis digniſſimum; & omnium malefactorum auctorem poſtulaſtis ad vitam, & Chriſtum juſtum, & ſanctum totius vitæ auctorem poſtulaſtis ad mortem. *Quem Deus ſuſcitavit*. D. Chryſoſt. Oecum. advertunt denotari in præſenti, quod Chriſtus D. ut verus Deus ſe ipſum ſuſcitaverit,& quamvis hoc verum ſit,cum opera ad extra ſint indiviſa toti Trinitati; tamen communiter Deus ſumitur pro Æterno Patre, ad quem Chriſtus referebat omnia. *Pater clarifica filium tuum. Suſcitavit à mortuis*. Bene notat Cardin. Hugo, & ait: *Melius dicitur Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis, quàm à morte; quia pro omnibus mortuus eſt, & per eum alii ſurrexrunt, & quilibet alius debet reſurgere à morte, non à mortuis*, & ſubdit: *Cujus nos teſtes ſumus*, quod explicatum eſt ſuprà cap.2.verſ.32.
D.Chryſoſt. Oecum. Hugo.

QUÆSTIO XV.

Quare D.Petrus in hac ſecunda concione majora prædicat de Chriſto mirabilia, quam in prima?

87. IN prima Concione dixit D. Petrus Ieſum Nazarenum cap.2.n.22.& ſupra n.6. Hic vero Filium Dei appellat: *Glorificavit Filium ſuum Ieſum*. Gloſſa Interlinealis. *Filium* Dei dicit naturalem *conſubſtantialem* cum Patre, verumque Deum, verumque Meſſiam. D. Chryſoſt. ait: Non amplius Nazarenum,quod videbatur nomen contemptûs, ſed Filium Dei, quod eſt ſupremæ Majeſtatis.
D.Chryſoſt.

88. *Secunda diverſitas à prima concione.* Luc. 1. Theoph. Euthym. In prima Concione dixit Petrus: *Ieſum virum approbatum à Deo virtutibus, & ſignis*, cap.2.n.22. Hic verò eum appellat *ſanctum, & juſtum*,quæ duo nomina ſummam totius perfectionis ſeriem demonſtrant. In Cantico Zachariæ Luc.1.n.75. In ſanctitate, & juſtitia coram ipſo: Ubi Theophylactus, & Euthymius obſervant.Vox prima *Sanctitas* Decalogi primam partem reſpicit; ſecunda autem *Iuſtitia* homines.Sanctum autem valde propriumChriſti D. epithetum eſt, & frequenter illi in Scriptura attribuitur, imò & ab ipſo Dæmone,Marc.7.n.14.& ab Angelo, Luc.1.35. *Quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur Filius Dei*. Sanctum eſt præclariſſimum, & altiſſimum epithetum Dei, ut dixi tom.1.in Evang. lib.1.cap.5.q.10. per totam.
Marc. 7. Luc. 1.

Reſpondeo primo, quòd D.Petrus prudentiſſimè ſe habuit; nam cùm in prima concione adhuc Iudæi eſſent multum rudes & multi paulò antè in odio, ac ira contra Chriſtum D.fuerint accenſi,ita ut eum ad mortem poſtularent, paulatim igitur fuerunt educendi à ſuis erroribus, atque in Chriſti magnalibus informandi. Primò dixit Apoſtolus magna, & alta de Chriſto, poſtea verò ſublimiora,& altiora prædicat; ſcilicet, quòd ſit conſubſtantialis Dei Filius, juſtus, & ſanctus,in hoc imitatus veſtigia ſui ſacratiſſimi Magiſtri,qui dixit ſuis diſcipulis: *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò*. Ioan.16.n.12.
Paulatim ad magna diſponendum. Ioan. 16.

90. Secundò: Tam magna, & alta Petrus prædicat, quod Chriſtus ſit Filius Dei ſanctus, & juſtus, quia erat quippe in præſenti præclariſſimum opus, ac perilluſtre teſtimonium ejus Divinitatis; in ejus enim nomine, Claudus qui in omnium oculis erat, ſanus factus eſt, & opus magnum reſplendens aperit os ad magna loquendum, & adverſariorum linguas comprimit, ac obturat.

91. Pilatus cum eſſet præſes in toto regno Iudææ, multis, & toto conatu intendit Chriſti innocentiam oſtendere, ut eum è manibus Iudæorum liberaret, dicens: *Ego nullam invenio in eo cauſam mortis*, & iterum: *quid mali fecit*. Et ad oſtendendam Chriſti innocentiam aquâ manus lavat à tali morte. Meus Ieſus pendens in Cruce à Iudæis crucifigitur, milites cuſtodiunt; prætereuntes blaſphemant: *Vah qui deſtruis Templum*, & ſimiliter Principes Sacerdotum illudebant, dicentes: *Alios ſalvos fecit, ſe ipſum non poteſt ſalvum facere*, Matth.27.n.40.41. & inter hæc moriente Chriſto clamat Centurio: *Verè Filius Dei erat iſte*, Matth.27.n.54. Audiunt hoc Iudæi crucifigentes, & prætereuntes Principes Sacerdotum, & ſeniores populi, nullusque contradicit, nec inſurgit contra Centurionem, ſed omnes tacent, & obmuteſcunt. Coram Pilato ejus innocentiam teſtificante contra ſe ſe opponunt, & inſurgunt; at verò contra Centurionem majora clamantem, eſſe *verum filium Dei*, nullus ſe opponit, ſed tacent omnes? Coram Pilato adſtabat innocentiſſimus Agnus nulla ſuæ celſitudinis ſigna præbens;at in Calvario ipſo moriente: *Tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram, Sol obſcuratus eſt,terra tremuit, petræ ſciſſæ ſunt*. Viſis tot ſignis cum magno impulſu, ac audacia proteſtatur Centurio: *Verè Filius Dei erat iſte*, & Iudæi erubeſcentes tacent,& quorum linguas Præſidis verba non potuerunt refrænare, comprimunt prodigia proclamantia. Ad hoc reſpicit D.Paſchaſ.lib.12.in Matth. & ait: *Gentiles Deum timentes, aperta voce Deum glorificant; verè Filius Dei erat; Iudæi ſilentes, ac erubeſcentes in domum revertuntur.*
Iniquorum ora non verba, ſed opera comprimunt. Matth. 27. Matth. 27.

QUÆSTIO XVI.

Quare D. Petrus negat ſua virtute, ac poteſtate ſanaſſe Claudum, cum Chriſtus D. dederit ei poteſtatem ſanandi infirmos?

92. *Difficultas quæſtionis.* QUomodo ait D. Petrus ad populum: *Quid intuemini in nos, quaſi noſtra virtute aut poteſtate fecerimus hunc ambulare*. Ubi videtur in ſe hanc poteſtatem denegare, cùm Deus dederit talem poteſtatem ſuis Apoſtolis, Matth.10.n.1. *Dedit illis poteſtatem*
Math. 10.

Marc. 3. *poteſtatem curandi infirmitates*. Et ſimiliter Marc.3. num.15.

93. *Solus Deus, ut principalis facit miracula.* Pſal. 71. Reſpondetur. Cum miracula ſint ſupra conſuetum, ac uſitatum naturæ concurſum non poſſunt fieri ab aliqua creatura virtute propria; hoc enim eſt ſolius Dei, qui cum ſit ſupremus omnium Dominus,poteſt naturas mutare, propriaque virtute miracula facere, ut dicitur Pſalm.71.n.18. *Tu facis mirabilia ſolus*, & ipſe cùm ſit ſupremus Dominus, poteſt hanc virtutem alicui creaturæ communicare, ut communicavit Moyſi,cùm dixit Exod.7.n.1. *Conſtituo te Deum Pharaonis*.
Exod. 7.

94. *In aliis communicata.* Unde D.Petrus ait: (pondera verba) *quaſi noſtra virtute, ac poteſtate fecerimus hunc ambulare*; negat in ſe propriam virtutem; hoc enim eſt ſolius Dei,in ſe autem erat communicata tanquam in miniſtro ipſius Dei: Unde malè Calvinus torquet hæc verba D.Petri contra invocationem Sanctorum, ac ſi nulla in eorum precibus,ac reliquiis poteſtas ſit ad ſanandum, hoc valde longè eſt à mente D.Petri, qui docet omnem poſtetatem faciendi miracula eſſe à Deo tanquam à cauſa principali, & ab eo ſibi, ac aliis communicatam gratis.

95. Hoc autem faciunt Sancti, tum ob ſuam humilitatem, tum ob majorem gloriam, ac Dei honorem manifeſtandum; & ſic ait D. Petrus in præſenti: *Quid intuemini in nos*: Volebat enim ne in ipſos oculos figerent, ſed tantum eos ad Deum elevarent. D.Gregor.Magn.homil.3. in Ezechiel. ait: *Signum quippe faciens, intuentium oculos miraculi lumine perſtrinxit, ſed humilitatem cuſtodiens,laudem Auctori reddidit*. De omni verò bono, quod faciunt, idcirco viri Sancti ſemper laudem Creatori reddunt, vera ſtabilitate perſiſtant in ea virtute, quam accipiunt.
D. Greg.

96. Matth. 6. Theop. Ait Chriſtus D. Matth.6.n.1. *Attendite, ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis*. Theophylact. *Caveto,quaſi de mala beſtia dicat, attende ne dilaceret te*. Idem Dominus ait Matth.5.n.16. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum*. Rectè D. Chryſolog.ſerm.9.ait: *Quomodo juſtitiam vult celari, cujus opera ſic vult elucere*, Quomodo hoc? virtutes videndæ, eorum artifex, & auctor non videndus. Ita quidem, virtutes ſic quoad circunſtantes ſe debent gerere, ut ſolus Deus ſit ſpectandus, eique omnis gloria tribuenda, non vero potenti,qui ita ſe habeat, ac ſi nihil feciſſet, cum totum ſit acceptum à Deo, quid ergo gloriaris. Theophylact. Non dixit: *Vos oſtentetis virtutem; hoc enim non eſſe bonum, ſed illa ſola luceat, ut & inimici veſtri admirentur, & glorificent, non vos, ſed Patrem veſtrum*: Sicut enim umbra ſequitur hominem ambulantem, vel fugientem, ſic gloria, & honor concomitatur opus ſanctum, & miraculoſum. Gloria, & honor, vero ſoli juſtitiæ Deo tribuitur, umbra vero operanti, ut ſub illa abſcondatur. D.Hilar.can.4.in Matthæum ait: *Pari fulgere, Apoſtolos monet lumine, ut admiratione operis eorum Deo laus impertiatur, non quod ab hominibus oporteat gloriam quærere; quia omnia in honorem Dei agenda ſunt, ſed ut diſſimulantibus licet nobis, opus noſtrum iis,inter quos vivimus, eluceat.*
Matth. 5. D.Chryſoſt. *Deo gloria operanti humilitas atribuenda.* Theoph. D. Hilar.

97. Ad deſignatam Sacerdotalem ſupremam dignitatem mandat Deus Moyſi ſumere virgas ex duodecim tribubus filiorum Iſraël, & uniuſcujuſque nomen ſcriptum in virga ſua, & pones in tabernaculo fœderis: *Quem ex his elegero germinabit virga ejus*. Num. 17. n. 5. ſequenti die inventa eſt *germinaſſe virga Aaron turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis, in amygdalas deformati ſunt*. Sed cur Deus electionem Summi Sacerdotis, per quem multa mirabilia erant facienda in populo, oſtendit, & declarat per virgas præciſas à ſua radice,& ab arbore ſeparatas? Ut denotaretur, quod ſicut flores, & fructus ab eis pullulantes non perveniebant à natura, ac vigore, quæ in virgis inerat, ſed à magnifica Dei gratia; ſic fulgor Sacerdotalis dignitatis ad magna,& alta operanda, non erat ab eorum natura, ac influxu, ſed à Dei gratia, ac virtute, cui omnia tribuenda,ac referenda ſunt.D.Ambroſ.epiſt.82.ait: *Virga autem illa quid aliud oſtendit, niſi quod nunquam Sacerdotalis marceſcat gratia, & in ſumma humilitate,habeat in ſuo munere commiſſa ſibi florem poteſtatis*. Expende illa verba *in ſumma humilitate*, non de ſua virtute aliquid recognoſcētes, ſed omnia de Dei gratia, ac potentia,cui omnia tribuenda ſunt
Num. 17. *Non nobis, ſed Deo gloria tribuenda.* D.Ambr.

Actor.3.*n*.16. Et in fide nominis ejus,hunc, quem vos vidiſtis & noſtis, confirmavit nomen ejus;& fides quæ per eum eſt dedit integram ſanitatem iſtam in conſpectu omnium veſtrum.

Num.17.Et nunc,fratres,ſcio,quia per ignorantiam feciſtis,ſicut,& Principes veſtri.

Num.18.Deus autem quæ prænuntiavit per os omnium Prophetarum,pati Chriſtum ſuum, ſic implevit.

VERSIONES.

Syrus n.16.Confirmavit, & ſanavit.

Arabicus.Et per fidem in nomine ejus,conſolidatus eſt hic,fides ejus in ipſo tribuit hujuſmodi integritatem in præſentiâ cætus veſtri.

Syrus n.17.Per errores feciſtis,ſicut primores veſtri.

Arabicus. Fratres noſtri ſcieruns quod non cognoſcēdo feciſtis. *Alius Syrus* primates.

Arabic.18.Verum Deus promiſſa,quæ pollicitus eſt de paſſione Chriſti implevit hoc modo.

Æthiopic.Quod Chriſtus trucidaretur.

EXPOSITIO VIII.

Verſ.16. ET *in fide nominis ejus*, ſeu, ut legit Arabicus *per fidem*, ac invocationem nominis Chriſti,ait Petrus, ut nos credimus:Hunc, quem *vos noſtis confirmavit nomen ejus*, declaravit, manifeſtavit virtutem ſui nominis ipſum ſanando, & ita confirmavit nomen ejus. *Et fides, quæ in eo eſt*. Hoc eſt fides in eum, ſcilicet, Chriſtum Jeſum: fides autem hic non intelligitur ea, quæ erat in Sancto, ut ſæpe legimus, Evangelio, *fides tua te ſalvum fecit*, ſed intelligitur fide, quæ erat in Petro, qua dixit: *In nomine Jeſu Chriſti ſurge, & ambula*, quibus verbis auditis veriſimile eſt, quod ipſe credidit; ab Apoſtolis nolebat diſcedere, ut ſupra dixi: Quod antea crediderit nullum ad hoc aſſerendum habemus fundamentum. 98.
Arabicus.

Dedit integram ſanitatem, ut ſurgere, ambulare, ac ſaltare promptè,& expeditè,Ita Gloſſa Ordinaria, & Interlinealis. De utraque ſalute animæ, & corporis exponit Hugo, tamen videtur hoc textui repugnare. Ait D.Petrus *ſanitatem iſtam in conſpectu omnium veſtrum*,quod videtur denotare ſanitatem corporalem, nec enim omnes, quos Chriſtus ſanavit corpore, ſanavit & anima, Malchus ſervus Pontificis ſanatus eſt à Chriſto,Ioan.18.n.10.& tamen juſtificatus 99.
Ordinar. Gloſſ. Interlin. Hugo. Ioan. 18.

ſtificatus non creditur;ex decem leproſis,novem,qui non venerunt dare gloriam Deo ex ſua ingratitudine non exiſtimantur juſtificati, Luc.17.

Luc. 17. Lirano.

10. Verſ. 17. *Nunc ſcio fratres.* Dulciter alloquitur, ut ait Lyran. ut verbum ejus magis recipiatur: *Scio quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & Principes veſtri*; qui multo minus excuſabiles ſunt quam plebs, cum eorum ignorantia fuerit valde craſſa, imò, & maximè affectata; quia audientes veritatem, cùm non poſſent contradicere, malitioſè tamen nolebant ſibi perſuadere, quod latè tractavi tom.5.in Evangelia lib.8. cap.15.q.4. Et quamvis hoc non excuſet à graviſſima culpa, ut notant Lorinus. Cornelius à Lapide,Tirinus, minuit tamen aliqualiter,& ex parte ſceleris gravitatem; multo enim gravius peccaſſent, ſi perſuaſi rem ita ſe habere,nihilominus in patrando ſcelere tenaciter perſtitiſſent. Unde Petrus in præſenti per ignorantiam: *Scio quia per ignorantiam*, & Chriſtus in Cruce: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Et Paulus 1. Cor 2. n.8. *Si enim cognoviſſent nunquam Dominum crucifixiſſent.* Unde ignorantia allegatur ad extenuandum crudele facinus.

Lorin. Cornel. Tirin.

Ex ignorantia aliqualis excuſatio. 1. Cor. 2.

101. *Principes veſtri*, ut jam notavi tom.5.lib.9.cap.3. q.9.n.54.Petrus hic dicit *Principes veſtri.* Diſcipuli in Emaüs, *Principes noſtri tradiderunt*, Luc.24.n.20. quia hîc diſcipuli cum eſſent rudes adhuc, & multa ſtultitia laborantes, *O ſtulti,& tardi corde*, impios, & iniquos agnoſcunt, ut Principes,ac Dominos,Petrus verò ab Spiritu ſancto illuminatus eos non dicit Principes ſuos, ſed veſtros,Quamvis enim iniqui ſplendidiſſimis perfulgeãt titulis,apud juſtos,& ſanctos ut erant Apoſtoli,in nulla dignitate habentur

Luc 43. *Iniqui in nulla dignitate ſunt apud juſtos.*

102. Verſ. 18. *Deus autem,quæ prænuntiavit per os Prophetarum*; Dicitur in ſingulari *per os Prophetarum*, & non in plurali per ora; quia licet Prophetæ fuerint multi,omnes uno ſpiritu,ac cohærenti ſermone de Chriſto D. ſunt loquuti: *Pati Chriſtum ſuũ ſic implevit*, tanquam ſi diceret: Deus veſtra ignorantia depravata uſus eſt ſua infinita bonitate in bonum; nam per illam implevit,ſeu perfecit, quæ de morte, ac paſſione Chriſti prædixerant oracula Prophetarum.

Propheta etſi multi, uno ore loquuntur

QUÆSTIO XVII.

Quare tantus eſt D. Petrus in præſenti in ſublimanda præſtantia virtutis, ac efficacia fidei?

103. D. Thom. *Quæ cauſæ interveniunt in opere miraculoſo.*

NOtandum eſt ex D.Thom. de potentia q.6.ad 19. quod in aliquo opere miraculoſo, v.g. in ſanitate hujus claudi, cauſa principalis Phyſica eſt Deus, cauſa principalis meritoria Chriſtus D. ejuſque merita, cauſa tãquam inſtrumentalis juſtus operans, v. g. Petrus ſua manu erigens claudum; fides autem eſt tanquam cauſa nobis applicans Chriſti merita, & veluti quædam oratio tacita vel expreſſa ad impetrandam ſanitatem,non de condigno,ſed de congruo, ita ut omnia per fidem impetrentur à Deo juxta Chriſti promiſſum: *Omnia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & eveniet vobis.* Marc.11.n.24.

Marc.11.

104. In exordio fidei Catholicæ, ac Chriſtianæ in hoc primo miraculo totus eſt D.Petrus in explicanda, ac declaranda fidei efficacia, & quod ſanitas hujus hominis à fide manavit,& ideo non ſemel, ſed bis aem tribuit: *In fide nominis ejus*, & iterum: *Et fides,quæ per eum eſt* Ut ex tanta virtute,ac præſtantia fidei omnes ad illam exhortaretur; cum illa enim omnia nobis ſunt in promptu, & cuncta ſunt ſecura, & tuta: *Cum exarſerit in brevi ira ejus: beati,qui confidunt in eo*, Pſalm.2.n.14. Cum divina ira diſtricta fuerit, ut in brevi, ac momento cuncta deſtruantur, ac pereant, inquiunt D.Auguſt. & noſter Incognitus, *beati qui confidunt in eo.* In tanta rerum deſolatione, ac devaſtatione, qui habent fidem in Deo, ſic ſunt quieti,& ſecuri, tanquam beati, ac ſi eſſent in Beatitudine.

Pſal.2. *Fides nos facit ſecuros in omni preſſura.* D.Aug. Incogn.

105. Mulier Chananæa rogat ad Chriſtum pro filiæ ſanitate,& cum ſemel,& iterum eſſet repulſa; Reſpondit ei Domines: *O mulier magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis*; Math.15.n.28. Maximè notandum, quod non dixit Chriſtus.Ego ſanitatem do filiæ tuæ, vel ſanata ſit filia tua: ſed, fiat tibi ſicut vis, ac ſi tanta ſua fide promeruerit ut matris voluntati relinqueretur,ut ipſa ſalutem filiæ impenderet.Ubi tanta reſplendebat fides,ſine alterius ope puellæ ſanitatem poterat impertire. D. Chryſoſtomus homil. 17. ex variis in Matth. ſic ait: *Non dixit ſanetur filia tua, ſed fiat ſicut vis, tu, inquit, eam cura, eſto medicus, tibi committo medicamentum, ut imponas ei. Fiat tibi, ſicut vis, voluntas tua curet eam.*

Math. 15. *Fides miniſtrat id, quod quilibet deſiderat.* D.Chryſoſt.

106. Cum Chriſtus D.eſſet cum diſcipulis ſuis in mari: *Ecce motus magnus factus eſt in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipſe dormiebat. Et acceſſerunt ad eum diſcipuli, & excitaverunt eum dicentes: Domine, ſalva nos perimus, & dicit eis: quid timidi eſtis modicæ fidei?* Math.8.n.26.In tanta rerum commotione, debacchantibus ventis,ſæviente tempeſtate, tumeſcentibus fluctibus,ita ut pene navicula mergeretur, culpatur eorũ timiditas ex modica fide? & quis prudens in tanto rerum diſcrimine non timeret? cur eorum modica fides arguitur? Merito ſanè,quia ubi eſt vera fides, nulla creaturarum adverſitas timetur, omnibus contrarietatibus ſuperior eſt fides, à nullo poteſt impugnari, ſed de omnibus valde ſecura triumphat.D. Baſil. Seleucus orat. 22.ait: *O dignas Domini voces, vult fidei vim rebus conditis eſſe valentiorem, & ad fidei præſentiam omnem ab anima deſperationem eliminari.*

Matth.8. *Ubi fides nullius rei eſt timor.*

D. Baſil. Seleuci.

QUÆSTIO XVIII.

Quare D.Petrus non ait,quod iſte claudus ſanatus ſit virtute potentiæ Ieſu, ſed exprimit in nomine Jeſu?

107. NOmen Jesus, eſt nomen dicens, ac ſignificans Deum; nam hoc nomen Jeſus datum eſt Chriſto D. in primo Incarnationis inſtanti,in quo inſtanti per unionem hypoſtaticam naturæ humanæ unitæ cum Divina verus eſt Deus. Ita D.Athanaſ.lib.6.de Incarnat.D.Ambroſ.cap.1.Luc. Tertullianus lib. de Trinitate cap.17.S.Thom.in epiſt. ad Philippenſ. ad illud *ſuper omne nomen*.S.Hilarius, Gaudentius, & alii.

D.Athan. D.Ambr. Tertull. D.Thom. D.Hilar. D.Gaud.

108. Paulus Apoſtolus agens de ſanctiſſimo nomine Jeſu ad Philipp.2.n.10. ait: *Dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne omnen, ut in nomine Ieſu omne genu flectatur cœleſtium terreſtrium, & infernorum.* Ex quo rectè inferunt Abulenſis q.7. in cap.2. Exodi, Cornel.Tirinus,& alii ad citatum locum Pauli,quod nomen Ieſu majus, ſanctius, & venerabilius ſit, quam ipſum uomen Dei *Tetragrammaton* Iudæis, & ineffabile, quod dicitur *Iehova*, & indicat Paulus *ſuper omne nomen.* Et ratio fundamentalis eſt; quia Deus ſignificat Deum? ut Dominus, ac omnium Creator; Ieſus vero ſignificat Deum, ut Salvator, ac omnium Redemptor eſt; ſicut enim majus fuit beneficium Redemptionis, quam Creationis; inde majus eſt nomen Ieſu, ut Redemptoris, quam ſit nomen

Philipp. 2.

Cornel. Tirin.

Nomen Jeſu magis venerabile, quam aliud Dei nomen.

nomen Dei, ut Creatoris: *Unde conſuetudo laudabilis eſt in Eccleſia, quod magis honorat nomen Ieſus, quam nomen Deus; unde audito nomine Ieſu devoti fideles caput inclinant, quod non faciunt, audito nomine Deus; qui ergo contra hoc offendit dehonorando nomine Jeſus magis peccat, quam ſi dehonoret nomen Deus.*

109. Hoc ſanctiſſimum Jeſus nomen maximè voluit Chriſtus D. eſſe ſublimatum, & adoratum in cælo, & in terra, ac in Inferno, quam quodcumque aliud illius nomen, quia Chriſtus D. maximè gloriatur, quod ſit noſter Salvator,ac Redemptor; cum autem Jeſus nomen ſignificet ipſum Salvatorem, ac Redemptorem, inde in hoc nomine maximè ſibi complacet, & ut tale ab omnibus honorari, ac venerari. Secundo:Alia nomina quòd ſit Æternũ Verbum, Filius Dei unigenitus à Patre, ſapientia Dei Patris, hoc habet à natura: at quod ſit Salvator, ac Redemptor ex meritis. Tertio:Jeſus,ut Redemptor, noſtra ſalus, & vita,& hoc non tantum habet in ſe, ſed etiam ſuum nomen Redemptoris Jeſus hanc voluit habere efficaciam, ut magis eſſet honorabile,ac venerabile,& ideo D.Petrus dans ſanitatem claudo, non ait in virtute, vel potentia, ſed in nomine Jeſu.

Tres rationes pro excellentia nominis Ieſus.

110. Magna virtus hujus ſanctiſſimi nominis,pro quo audiendus D.Ephrem hom l. in quadraginta Martyres ad illud Pſal.53.n.1. *Deus in nomine tuo ſalvum me fac*, ſic ait Sanctus Pater: *Deus igitur, & quaſi ſemper, & in omni tempore ad miſericordieſiſſimum Dominum, Deus in nomine tuo ſalva nos, & mox emittet auxilium ſuum ab alto, addetque vires animabus noſtris: Hoc Daniel proclamans, in lacu etiam ferarum agreſtium fauces effugit. Hujus quoque Propheta meminit Ionas in ventre Ceti, & ab omni interitu ſalvata eſt vita ejus; & ex medio ardentis ignis ſanctiſſimum hoc nomen tres pueros liberavit.* Et hoc David Goliath ſuperavit dicens; *Ego venio ad te in nomine Domini*, 1.Reg.17.n 45.

Pſal. 53. D. Ephr.

Nomen Ieſus ad nos defendendum.

1.Reg. 17.

111. Magna, & alta eſt ſublimitas, ac ſanctitas ſacratiſſimi nominis Jeſu; annuntians Angelus Divini Verbi Incarnationem, ait Virgini Mariæ: *Vocabis nomen eius Ieſum: Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur*, Luc 1. n. 3. ad quæ verba præclarè notat Rupertus lib. 1. de operibus Spiritus ſancti cap.10. & ait: *Paulo ante, vocabis nomen ejus Jeſum. Hic autem vocabitur Filius Dei. Illic vocabis, hic autem vocabitur.* Et relicta ejus ſolutione, quam dedi ſuo loco lib.1 cap.5. q.38.n.103.aliter reſpondeo: Angelus ait quod Chriſtus D. vocandus, ſeu publicandus ſit Jeſus magnus, & Filius Dei, tamen non ab iiſdem Perſonis, à Virgine Maria vocandus eſt Jeſus, ab aliis vero Filius Dei; & licet nomen Filii Dei ſit valde ſublime à multis conceditur, ut dicatur, ac primo appelletur: At nomen Jeſus adeo ſanctum,altiſſimum,& perexcelſum eſt,ut illud primùm dicere. ac publicare ſolum committatur ſacratiſſimæ Virgini ſuperelevatæ ſuper omnes puras Creaturas, gratiâ, ſanctitate, ac dignitate, & à tam ſublimi, & alta lingua ſolum erat pronuntiandum præclariſſimum nomen Jeſus.

Luc. 1. Rupert.

Magna eſt ſanctitas, ac ſublimitas nominis Ieſu.

Actor.3.*n*.19.Pœnitemini igitur, & convertimini,ut deleantur peccata veſtra.

Num.20.Vt cũ venerint tempora refrigerii à conſpectu Domini, & miſerit eum,qui prædicatus eſt vobis, Jeſum Chriſtum.

Num. 21.Quem oportet quidem cœlum ſuſcipere uſque in tempora reſtitutionis omnium, quæ locutus eſt Deus.

VERSIONES.

Syrus n. 19. Pœnitentiam agite, & expurgentur.

Oecumen. Reſipiſcite quo deleantur.

Æthiop.Nunc reſipiſcite,& baptizabimini

Syrus n. 20.Et obveniant vobis tẽpora quietis à conſpectu Dei, & mittat vobis eum, qui paratus erat,vel prædeſignatus.

Arabic.Adveniant vobis tempora quietis,& refrigerii. *Vatabl*.Refocillationis.

Tertullian. Ex perſona Dei. *Caiet*. A facie Domini.

Æthiopic. Mittet vobis Jeſum, quem perunxit.

Syrus n. 21. Quam cœlos capiat uſque ad complementum omnium temporum eorum à cœlo uſque ad tempora.

Arabicus. Cum oporteat, ut excipiatur à cœlo,uſque ad tẽpora,quæ confirmabunt uſque ad perfectionẽ omnium ſermonũ.

Vatabl Ad tempora reſtitutionis. *Oecumen*. Ad tempora inſtaurationis.

EXPOSITIO IX.

Verſ. 19. *POenitemini igitur.* A peccatis veſtris, & convertimini ad Chriſtum verum Filium, & *pœnitemini* per veram pœnitentiam, & peccatorum deteſtationem,ac morum emendationẽ. *Vt deleantur peccata veſtra.* Syrus *ut expurgentur peccata veſtra.* Æthiopic. *Reſipiſcite, & baptizabimini.* 112.

Syrus. Æthiop.

Verſ. 20. *Vt cum venerint tempora refrigerii.* Vatabl. *Refocillationis*, Syrus *Quietis*. Explicat D. Petrus præmium propoſitum pœnitentibus,tempus refrigerii ſcilicet, æternæ beatitudinis, quæ nos liberabit ab æſtu, ac fervore tot laborum,afflictionum, ac malorum hujus ſæculi. *A conſpectu Domini*, ſeu, ut legit Tertullianus *ex perſona Dei.* Caiet. *A facie Dei*, vel quia ipſa Beatitudo,de qua agitur tota conſiſtit in viſione, ac cognitione præſentiæ ac faciei, vel à *conſpectu Dei*, hoc eſt ab ipſo Domino præſente conſpiciente,& judicante ſua ſententia finali, *& miſerit eum Jeſum Chriſtum*, & Pater Æternus miſerit Filium ſuum Jeſum ad judicandum; nam de judicio finali, ac reſurrectione noſtra communiter locum interpretantur Tertull. lib.de Reſurrectione, D.Chryſoſt Oecumenius, Lyranus, & alii. 113.

Vatab. Syrus. Tertull. Cajetan.

Tertull. D. Chryſ. Oecum. Lyran.

Qui prædicatus eſt; Pagnin. Vatabl. & Tigurina legunt: *Præconizatus eſt*, vel *proclamatus.* Alii. cum Tertullian. citato,D.Irenæo lib.3.cap.12.cum Syro *Prædeſignatus* per Prophetas de ultimo judicio. 114.

Pagnin. Vatabl.

Verſ. 21. *Quem oportet quidem cœlum ſuſcipere.* Verba etiam in græco faciunt ambiguum ſenſum: Utrum ſignificetur,quod Chriſtus ſuſcipiat cœlum, an quod cœlum ſuſcipiat Chriſtum?Poſterior ſenſus verior, & aptior eſt, ut probat Bellarmin.lib. 3. de Incarnat.cap.12. *Vſque in tempora reſtitutionis*, nempe uſque in diem judicii, in quo homo lapſus per peccatum ad immortalem Dei gloriam reſtituitur; Angelorum ruinæ reſtaurabuntur, & ſimul cum homine cœlum,terra,& elementa, totuſque orbis ſuæ primævæ integritati,incorruptioni, ac ſplendori reſtituetur,ut docent D.Paulus Rom.8.n.21.D.Petrus epiſt.2. cap. 31.n. 13. Quæ ſcilicet tempora futura prædixit Deus per Prophetas ſanctos ſuos, qui à ſæculo prophetarunt; ab exordio, ac initio conditi orbis Dominus prædixit per ſuos ſanctos Prophetas. 115.

Bellarm.

Paul. Rom. 8. Petri 2.

QUÆST.